

128

126

132

122

137

117

177

077

227

027

Ende

Anfang

117

aggeres arenarum in aliquibus locis supereminebant. Tota autem illa aquarum congregatio erat salsa, de maritimis aquis irrumpentibus per ostia Nili. Porro, in illa latitudine non poterant nautae nostri amplius navem trahere propter profunditatem, sed nobiscum sedebant. Vagabamus ergo in incertum in aquis, nunc huc nunc illuc, nec progredi poteramus prohibente nos contrario vento. In ista ergo confusa circumvolutione devenimus extra veram gurgitem et alveum Nili, eumque perdidimus, quia aqua turbida pariter et turbata erat et venti magni et aqua instabilis, nec fundum videre poteramus et ita supra agros et campos navigavimus, tandem longius projecti in tenuem aquam devenimus et in incertum ferebamur, quo usque in bithalassum incidimus, impeginus enim in arenarum aggeres, quos non vidimus et navis limo infixa mansit immobilis, quamvis aqua mira celeritate et vehementia moveretur vento, navis tamen nostra nec agitabatur fluctibus eam fortissime percutientibus; qua propter nautae nostri se denudantes in aquam descenderunt et multo labore navem a loco removerunt et reingressi iterum agitabamus sine progressu et rursum in alium aggerem incidimus et fortius infixi quam prius stetimus; nautae ergo nostri sicut prius maximo labore conabantur navem removere et remotam tentabant eam in verum alveum reducere et in aquis ibant usque super umbilicum et saepe in aquam totaliter cadebant et in his saepe humo haerebat et iterum atque iterum evulsa quassabatur. Tandem autem magnus et importunus afflavit ventus, navemque de manibus nautarum rapuit et eam grandi impetu in locum tenuissimae aquae injecit, ubi tam fortiter luto infixa stetit, quod omnem spem eam movendi amisimus et in periculo non modico fuimus; nam simili diffortunio tradunt Aeneam vitam finivisse in fluvio. Porro naves quaedam de mari ascendentes (**116 a**) contra nos eodem dubio ferebantur, nescientes alvei tractum, ventus tamen vela eorum implebat et celerrime duebat, etiam dum lutum tangerent, sulcabant et aquam et lutum duce vento. Dum enim vidissent nos luto infixos a nostro tramite declinaverunt et felices ex nostro periculo facti praeterierunt, si enim in nostra semita mansisset, infixi fuissent sicut et nos. Aliae etiam naves quaedam speciebus aromaticis oneratae sequebantur nos et in eandem damnationem devenerunt stantes luto infixae et maximis conatibus exitum quaerebant. Hoc autem tantum bonum vitae nostrae sub-

